

lege naturæ in quocumque statu sumptæ, est quod Deus colatur non solum ut auctor animæ, sed etiam ut auctor corporis, et quod homo subjiciatur illi, non solum spiritualiter et interius, sed etiam corporaliter et exterius: ergo mediantibus aliquibus signis exterioribus; sacrificium autem actio et signum est exterius protestativum divinæ excellentiæ: ergo.

LIX. Confirmatur: Propterea homo in illo uteretur sacrificiis, quia constat corpore et anima, et in utroque Deum debet colere: ergo eadem ratione deberet uti sacramentis, quia cum constet corpore et anima, oportet quod sanctificationem suam non solum spiritualiter, sed corporaliter applicatam haberet, id est, mediante signo corporali.

LX. Respondetur concessio antecedente negando consequentiam. Et ratio differentiæ est, quia cultus Dei externus est aliquid debitum Deo, ex subjectione quam habet homo Deo non solum spiritualiter, sed etiam corporaliter; sanctificationem autem ipsius hominis fieri per signa corporalia, non est debitum naturæ humanæ, quando talem statum habet, ut perfectissime Deo subjiciatur, quia ex vi subjectionis hujus sanctitatem hanc habere debet. Itaque non est inconveniens, in statu innocentiae signa externa esse, quibus homines in rebus sacris communicarent (hoc enim potius perfectionem dicit, cum hæc signa ex sanctificatione interna dimanarent) sed inconveniens est subjici hominem in eo statu his signis, ita ut ab eis suam sanctificationem et perfectionem emendicaverit. Uti autem signis non subjiciendo se illis, sed potius illis perfectionem dando, inconveniens non est.

LXI. Ex quo solvitur confirmatio, quia enim homo constat corpore et anima, in utroque debet Deo

cultum reddere, secundum protestationem interiorum et exteriorum: quia tamen constat corpore et anima perfecte Deo subjecta, non debet sanctificationem suam ex signis externis, sed ex ipso Deo accipere. Et quidem cum sanctificatio sit quid solum spirituale, non est per se loquendo necessarium eam applicari corporaliter, cultus autem Dei et spiritualiter et corporaliter debet exhiberi, quia in utroque subjicitur homo Deo. Cæterum in patria neque sacrificia erunt quia ubi est veritas clara, omnis signorum umbra fugit; et ita non oportet in signis exterioribus ibi Deum colere, quem clare omnes vident; sed illis solum signis, quibus est clare Deum colere et laudare, coletur Deus ut vocali laude, non sacrificiorum umbris.

LXII. Sexto objicies: Ad proficiendum in cognitione Dei non erat inconveniens in illo statu uti hominem creatura et effectibus Dei, ut in ejus cognitionem per discursum veniret: ergo neque similiter erat inconveniens signis a Deo institutis uti, ut clarius et distinctius de Deo cognosceret. Sicut enim ex corporeis creaturis surgebat ad Deum, ita et ex sensibilibus signis.

LXIII. Confirmatur primo, quia mysteria fidei non tradebantur in eo statu sub omnimoda claritate, sed sub ænigmate et metaphoris, sicut Adam sub matrimonio intellexit Christi ad Ecclesiam conjunctionem: ergo sub signis sensibilibus velari debebant hæc mysteria; nec enim aliter poterant velata tradi, quam sub rebus corporeis, cum homo corporeus sit.

LXIV. Confirmatur secundo, nam non est inconveniens Angelum aliquid accipere ab homine, juxta illud Ephes. III: *Ut innotescat Principatibus et Potestatibus per Ecclesiam in cœlestibus, etc.* ergo neque inconve-

niens erat, quod in statu innocentiae homo acciperet ab homine ea quæ ad perfectionem suam pertinent: hoc autem per signa sensibilia fieri debebat: ergo non erat inconveniens uti signis sensibilibus, et consequenter sacramentis.

LXV. Respondetur negando consequentiam, nam etiam Angeli ante suam beatitudinem Deum solum ex effectibus intelligebant, et sic intelligunt modo Deum extra Verbum, non tamen decuit propterea uti signis a Deo institutis. Ratio autem disparitatis in homine pro eo statu ea est, quia ex effectu colligere causam, et ad ejus cognitionem assurgere est propria hominis perfectio, et connaturale illi, et consequenter si solum a Deo instituerentur signa, ut ex eis Dei cognitionem acciperet, non esset magis inconveniens, quam ex creaturis, quæ naturalia Dei signa sunt, eam accipere. Cæterum uti signis practicis et sacramentalibus, non solum ordinatur ad accipiendam Dei cognitionem, sed etiam ad sanctificationem ipsam percipiendam, et eam scientiam, quæ talem sanctificationem comitatur. Hoc autem tunc indecens erat, cum eam sanctificationem ex omnimoda subjectione ad Deum participare deberet. Itaque non est inconveniens tunc fuisse signa speculativa respectu rerum spiritualium, sicut et aliqua de facto fuerunt; est tamen inconveniens fuisse practica, quia in his supponeretur non perfecte esse subjectam mentem Deo.

LXVI. Ad primam confirmationem respondetur ex dictis, mysteria fidei velata tradi, et ideo non fuisse inconveniens aliquibus signis speculativis, et ad cognitionem præcise ordinatis uti; non tamen debuisse uti signis practicis ad sanctificationem acquirendam: in illis enim nulla erat imperfectio, sicut in istis.

LXVII. Ad secundam confirmationem respondetur. Angelos non accepisse ab hominibus scientiam rerum supernaturalium, sed a Deo; licet quoad aliquem modum (scilicet, quoad complementum et executionem earum in re) innotuerit ipsis posita prædicatione Apostolorum, quia et in his quæ naturaliter cognoscunt Angeli, dependent a productione rerum, ut eas in actu cognoscant.

LXVIII. Secundo dicitur, quod sicut Angeli non potuerunt dependere ab homine, aut ab aliquo signo sensibili ut a signo practico sanctificationis suæ, ita nec decuit in statu innocentiae a signis practicis hominem induci ad perfectionem supernaturalem; cum hoc esset subjici eis in iis in quibus soli Deo mens subiciebatur; licet non esset inconveniens uti signo aliquo speculativo ad cognitionem accipiendam ordinato.

LXIX. Argumenta alia apud Cabreram de igne inferni qui fuit ante peccatum; herbis medicinalibus, quæ fuerunt ante morbos, facilis est solutio, quod hæc omnia sunt res naturales, quæ proinde debebant cum ipso universo ut partes naturales ejus creari.

### ARTICULUS III.

*Utrum post peccatum ante Christum de huerint esse sacramenta?*

CONCLUSIO EST AFFIRMATIVA.

I. In solutionibus autem argumentorum ex doctrina S. Thomæ aliæ tres elici possunt conclusiones.

II. Prima in solutione ad primum: Christus Dominus respectu sacramentorum veterum solum fuit causa finalis.

III. Secunda in solutione ad secundum: Licet fides eadem semper fuerit, tamen quia quoad expressionem per incrementa temporum crevit, sacramenta veteris legis comparabantur ad sacramenta legis naturæ ut determinatum ad indeterminatum.

IV. Tertia in solutione ad tertium: Sacramentum Melchisedech fuit similis sacramento eucharistiæ in materia; agnus autem paschalis, et sacramenta legis Moysi fuerunt similia in re significata.

V. Principalem conclusionem præter auctoritatem Augustini xvi contra Faustum relata in argumento Sed contra, probat S. Thomas unica ratione in corpore articuli, sacramenta in tantum sunt necessaria, in quantum sunt signa sensibilia earum rerum, quibus sanctificamur, sed post peccatum nullus sanctificari potest nisi per Christum: ergo etiam ante Christi adventum oportuit esse sensibilia signa, quibus fidem suam homines de salvatoris adventu protestarentur; talia autem signa sacramenta sunt: ergo post peccatum sicut homo eguit salvatore, ita et sacramentis ipsum protestantibus et significantibus.

VI. Circa hanc rationem advertendum est, quod licet expressius significatum sacramentorum, ut supra diximus, sit gratiæ, quæ formaliter sanctificat, tamen D. Thomas non ex necessitate gratiæ, sed ex necessitate salvatoris probat necessitatem sacramentorum post peccatum, quia videlicet necessitas gratiæ, etiam in statu in quo non erant sacramenta (ut in statu innocentiae) omnino currebat. Quod autem gratia ista mediante sacramentis conferretur, ita ut sacramenta necessaria fuerint ad gratiæ acquisitionem, ex eo quod gratia erat redemptiva, et per redemptorem eam habere debeamus, ortum fuit.

VII. Etenim supposito, quod salus nostra et sanctificatio solum per redemptorem et salvatorem obtineri poterat, necessarium fuit ut applicaretur hominibus gratia et sanctificatio per aliqua signa protestativa salvatoris et fidei ejus, et ipsis signis mediante salvatori illi tamquam capiti et salutis auctori jungeretur; idque debebat per signa sensibilia fieri, ob rationes supra allatas, quia homo corporeus, etiam amissa subjectione illa mentis ad Deum, per signa corporea convenientes reducebatur ad auctorem suum, qui etiam in humanitate sensibilis apparebat.

VIII. Optime ergo necessitatem sacramentorum, non ex ipsa gratia immediate probat S. Thomas, sed ex salvatore et auctore gratiæ, cujus fidem mediante signis oportebat protestari, ut uniretur ei homo et applicaretur illi remedium convenienter ad ipsum hominem suscipientem, et ad ipsum salvatorem, quia et ille sensibilis est, et per peccatum subjectus sensibilibus; et hic in carne sensibilis apparuit, ut salvaret hominem.

IX. Secunda conclusio probatur a S. Thoma, quia passio Christi non præcessit tempore sacramenta vetera, et sic non potuit ad ea comparari ut causa efficiens; præcessit autem in intentione, et ideo se habuit ut causa finalis; de ratione autem causæ efficientis est quod, realiter antecedit suum effectum, et secundum exigentiam suam; cum autem Christus non extiterit, nisi post sacramenta vetera, non se habuit ut causa efficiens illorum. Aliæ conclusiones ex littera patent.

## DUBIUM PRIMUM.

AN IN LEGE NATURÆ FUERINT VERA ET PRŒPRIA SACRAMENTA, QUIBUS HOMINES UTI TENERENTUR?

*Conclusio est affirmativa.*

X. Pro ejus intelligentia supponendum est tamquam certum, in illo statu et remedium fuisse in peccatum originale, et vera sacrificia: utrumque enim ex Scriptura evidenter constat, aut colligitur, et ex communi patrum et Ecclesiæ consensu. Constat enim ex Scriptura in illa lege naturæ plures fuisse justos et Deo placentes, et ipsum Adam eductum esse e delicto suo, sap. x, justis autem esse non possent nisi purgati a peccato originali: ergo de fide est peccatum originale fuisse remissum multis in illo statu, et consequenter de fide est fuisse remedium contra peccatum originale, quidquid illud fuerit. De sacrificiis etiam illius legis in Genesi, et in libro Job multa leguntur.

XI. Secundo, supponendum est, remedium peccati originalis in illa lege non solum pro adultis, sed etiam pro parvulis fuisse. Id clare tradidit S. Augustinus libro v contra Julianum, capite ix, ubi inquit: « Non esse credendum famulos Dei, quibus inerat fides mediatoris, ante circumcisionem nullo sacramento opitulatos esse parvulis suis, quamvis de illo Scriptura non faciat mentionem. »

XII. Colligitur id etiam ex generali Dei providentia et voluntate, qua neminem vult perire, sed omnes homines salvos fieri; quæ voluntas cum constet non intelligi de efficaci voluntate salvandi, intelligenda est de voluntate dante sufficientia remedia ut omnes homines salventur. Non essent autem sufficientia

remedia, nec sufficienter in hac parte provisum, si pro parvulis, quorum tanta multitudo moritur, et per suos actus non possunt salutem quærere, non esset a Deo aliquod remedium datum, quo salvari possent si eis applicaretur.

XIII. Colligitur id etiam ex eo, quod post legem scriptam feminae apud Judæos justificabantur ab originali, etiam cum parvulae essent; neque enim verosimile est in populo fideli masculos ab originali justificari et non feminas; cum autem eis non applicaretur nisi remedium legis naturæ, nec enim de alio constat, cum non fuerit in lege aliquod institutum, manifeste sequitur quod pro parvulis erat remedium originalis in statu legis naturæ.

XIV. Punctus ergo controversiæ ad tria capita reducitur. Primum, an ea quæ fiebant in remedium hujus peccati habuerint rationem sacramenti; an solum fuerit interior fides, vel aliquis alius actus: secundum est, a quo determinabantur hujusmodi signa, quando in particulari debebant applicari: tertium, an obligatio esset in hominibus illis utendi. Quoad primum expressa sententia est S. Augustini quinto contra Julianum citato, et S. Thomæ hic ad secundum et tertium, et quæstione præcedenti, articulo quinto, et communiter omnium doctorum, ante circumcisionem in remedium peccati, saltem originalis, fuisse vera sacramenta.

XV. Hujus ratio ex duobus pendet. Primo quidem, quia in remedium originalis non sufficiebat tunc fides, aut actus interior, præsertim respectu parvulorum: secundo, quod actio sensibilis et exterior significabat vere sanctificationem illam per Christum et in ordine ad Christum tunc de præsentia dandam; sicque habebat rationem sacramenti, id est, signi sensibilis, quo justificaban-

tur homines. Primum patet; tum ex his quæ docuit S. Thomas articulo primo hujus quæstionis, quibus probavit fuisse conveniens et necessarium uti sacramentis ad salutem; tum etiam, quia quantum ad parvulos, oportebat remedium eis applicari, ut ipsi consequerentur salutem; non est autem conveniens applicatio inter homines et modo humano, si fiat per purum actum internum, et non externa aliqua applicatione. Ea enim quæ facimus erga alterum, et in quo ei communicamus, externa applicatione fieri debent. Quantum autem ad adultos, oportebat ipsos cognoscere justificationem, quam recipiebant et mediatorem salvatorem, a quo illam habebant; unde oportebat eis signa adhiberi extrinsecus, per quæ ista cognoscerent.

XVI. Accedit ad hoc, quod in illis hominibus erat vera Ecclesia visibilis, utpote ex hominibus, qui corporei sunt, constans: oportebat ergo eos, qui huic Ecclesiæ aggregabantur, aliquo corporali signo aggregari. Constat autem non potuisse intrare, et aggregari in Ecclesiam ante remissionem originalis culpæ; nec enim Christi membrum esse quis potest, nisi a vetere homine Adam incorporetur in Christo, quod est peccato originali carere: ergo debuit esse aliquid sensibile, quo ista sanctificatio fieret, et remissio peccati, alias non constaret Ecclesia de aggregatione fidelium ad ipsam, si spiritali tantum et interiori actu homines aggregarentur. Decuit etiam, ut sicut salvator hominum homo sensibilis erat, et non solum Deus, ita etiam homines salvatoris fidem protestarentur, et salutem per ipsum consequerentur mediantibus sensibilibus signis, quibus eis applicaretur hoc remedium.

XVII. Secundum vero, scilicet, quod ista signa exteriora significa-

rent practice gratiam et sanctificationem patet, quia illis cognoscebant homines quinam pertinerent ad Ecclesiam, et quinam emundabantur a peccato, aut non emundabantur: ergo illa signa exteriora significabant gratiam, seu justificationem nostram, ut dandam per Christum, si quidem fiebat in illis protestatio salvatoris, et consequenter significabant gloriam, quæ tali gratiæ correspondet: ergo erant signa ordinata ad sanctificationem nostram per Christum, et ut per susceptionem illorum eam consequeremur, quod pertinet ad signa practica, quia videlicet habebant pro fine non cognoscere solum, sed ipsum sanctificari per illa.

XVIII. Quoad secundum dicimus, in statu legis naturæ cæremonias sacramentales, seu materias sacramentorum non fuisse immediate institutas et determinatas a Deo, saltem pro omnibus hominibus communiter; sed sicut non erat tunc lex data a Deo immediate, sed per inspirationem internam hominibus aliquibus factam, aut reipublicæ, sic etiam et sacramentorum cæremonia a Deo instituta erant mediante reipublicæ auctoritate. Hæc constat ex D. Thoma quæstione præcedenti, articulo quinto, et ex his quæ ibi diximus.

XIX. Non negamus tamen, aliqua peculiariter fuisse a Deo peculiaribus hominibus instituta. Sicut enim apud Job determinavit sacrificia pro amicis ejus, quibus expiarentur, sic credibile est determinasse etiam sacrificia aliorum, ut Abel, Henoch, Noe, et oblationem Melchisedech, quæ fuit sacramentum, utpote eucharistiæ præfigurativum ex parte materiæ; sic enim hic ad tertium appellatur a S. Thoma. Et licet omnia sacramenta Deus instituerit et determinaverit, quia ipse solus est auctor gratiæ, et consequenter signi-

practici justificantis, tamen modus quo Deus instituit et determinat hæc sacramenta, et materias eorum, non est semper idem, sed prout postulat et status et lex, cujus sunt sacramenta.

XX. Hæc autem differentia fuit inter legem evangelicam, veterem et naturæ, quod in lege evangelica: *Locutus est nobis Deus in Filio*, Hebr. I, et per illum fuit legislator et promulgator legis: in lege veteri locutus est in prophetis, ita quod ipse quidem solus erat legislator, et ferebat legem, ac consequenter condebat sacramenta, promulgabatur tamen per prophetas, quia ut dicitur Galatas III: *Lex fuit ordinata per Angelos in manu mediatoris*: in lege autem naturæ Deus ipse immediate nec promulgavit legem, nec instituit (alias fuisset tunc lex scripta) sed respublica erat immediatum instituens, ex peculiari tamen Dei instinctu, licet verum sit, quod ob peculiarem favorem aliquibus amicis suis sacramenta aliqua tradidit Deus. Et præter hanc rationem, quod institutio sacramentorum debet accommodari institutioni legis, ratio etiam hujus est, quia de nullo sacramento determinato a Deo legimus pro illo statu, aut ex traditione constat; et alias illi statui congruebat non determinari, in quo nulla erat lex scripta, et immediate a Deo tradita.

XXI. Quantum ad tertium, supponendum obligationem, seu necessitatem utendi istis sacramentis, aut esse necessitatem finis seu medii, aut necessitatem præcepti. Illud dicitur necessarium necessitate præcepti, quod est quidem in præcepto, sed tamen sine illo salvari quis potest, vel propter ignorantiam, vel propter impotentiam, vel si alias non incidat in materiam præceptam. Necessarium autem necessitate medii est illud, sine quo nullus sal-

vari potest, nec excusatur ob ignorantiam vel impotentiam: sicut quantumcumque quis ignoret baptismum, si tamen illum non suscipiat, salvari non potest. Igitur in statu legis naturæ dicimus probabilius esse, quod in remedium originalis peccati erat necessarium necessitate medii et præcepti uti aliquo signo externo.

XXII. Hujus oppositum tenere videtur Hugo de S. Victore libro primo de sacramentis, quæst. IX, capite V, ubi dicit: « In ea lege fuisse aliquod sacramentum pro parvulis, sed devotionis, non necessitatis. » Sed quod esset præceptum utendi talibus sacramentis, patet; tum, quia si illa sacramenta non essent necessaria, saltem necessitate præcepti, sed illis uterentur homines pro libito, non esset ratio et fundamentum sufficiens ponendi talia sacramenta; tum etiam, quia cum a republica determinabatur cæremonia illa, qua homines uterentur sacramentaliter, cum esset res gravissima, et in ordine ad justificationem, tenebantur homines parere reipublicæ sic præcipienti illas cæremonias et sacramenta; alias magna sequeretur confusio in Ecclesia, si determinata materia et signo externo justificationis homines nollent illo uti.

XXIII. Quod autem tenerentur necessitate medii, ita ut si non uterentur illo, aut si attentarent alio uti privata auctoritate non consequerentur justificationem probatur, quia in illo statu non sufficiebat pro justificatione parvulorum sola fides, aut actus interior, ut ostensum est; alias non posset applicari illis remedium: ergo si non sufficiebat interior actus, necessarium erat adhibere exterius signum: ergo necessitate medii ad id tenebantur. Nam si interior actus non erat medium sufficiens, oportebat ergo ad-

hibere medium sufficiens, quod esset externum quid.

XXIV. Rursus non sufficiebat ad hoc signum externum privata auctoritate inventum aut adhibitum, sed publica; nam justificatio parvulorum fiebat in fide Ecclesiæ, et non in fide privatæ personæ; cum enim per illud signum incorporari deberet Ecclesiæ, oportebat communicare in fide communi et publica Ecclesiæ, et non solum in privata: ergo signum quod uti debebant homines pro justificatione parvulorum debebat esse publice ab Ecclesia, seu republica illa institutum, et non privata auctoritate factum.

XXV. Denique, quia nulla est ratio cur in lege gratiæ et scripta fuerint necessaria necessitate medii sacramenta externa, et in statu legis naturæ sine externo signo sacramentali, et publico possent parvuli justificari, si quidem non minus necessaria erant signa sensibilia in lege naturæ, quam in aliis statibus. Quod autem pro adultis etiam susceptio talium signorum necessaria esset necessitate medii probatur, nam licet hi possent habere interiores actus fidei et charitatis, tamen ad salutem etiam necessaria est protestatio et confessio fidei, quæ fit in Ecclesia, juxta illud Rom. x: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*: ergo fuit semper necessaria ad salutem fidei protestatio et confessio.

XXVI. Rursus hæc protestatio debet fieri secundum publicam et communem Ecclesiæ fidem: ergo et secundum publica et communia signa, et consequenter ut adultus incorporaretur Ecclesiæ, necessaria erat exterior protestatio secundum modum illius Ecclesiæ; erat autem necessarium necessitate medii, non solum parvulos, sed etiam adultos visibili Ecclesiæ aggregari: ergo erat necessarium necessitate medii

uti signis, quibus illi visibiliter aggregarentur, sicut modo et in lege scripta.

XXVII. Denique, quia in omni statu remedium originalis peccati, quod erat necessarium parvulis sine propria dispositione, erat necessarium adultis cum propria dispositione; solum enim in hoc erat differentia ex parte dispositionum, ex parte autem signi sensibilis, quod per talem dispositionem suscipiendum est, omnibus necessarium est. Nec enim est ratio cur parvuli eo signo deberent uti in fide communi Ecclesiæ, et non adulti in dispositione propria.

PROPONUNTUR ARGUMENTA.

XXVIII. Sed objicies primo: Nam ante Christi adventum nullus justificari poterat ex opere operato, et sine propria dispositione, sed ex opere operantis: ergo non poterat aliquod sacramentum esse in ea lege pro parvulis, si quidem ex opere operato justificari non poterant; si autem non erat pro parvulis, neque pro adultis, cum illi ex propria dispositione possent justificari. Antecedens autem patet, quia justificare ex opere operato proprium est sacramentorum novæ legis, quia est justificare ex meritis Christi operatis, et positus in rerum natura, quod illi statui nequit convenire.

XXIX. Respondetur hoc argumentum etiam probare, in lege scripta circumcisionem non profuisse parvulis in remedium originalis peccati mediante fide Ecclesiæ, cujus oppositum negat S. Thomas, et universaliter omnes doctores infra, quæstione LXX, articulo IV; ex D. Augustino lib. II de nuptiis et concupiscentiis, capite XI.

XXX. Dicimus ergo, neque circumcisionem, neque sacramentum

legis naturæ ex opere operato gratiam dedisse. Ubi notandum est, quod (ut communiter explicant Thomistæ citata quæstione LXX), dari ex opere operato gratiam per sacramenta, dupliciter potest intelligi, uno modo, passive; alio modo active. Ex opere operato passive, est dari gratiam suscipientibus tale sacramentum passive, solo Deo active eam præbente ad præsentiam sacramenti, non tamen ipso sacramento active concurrente, neque ex opere operantis, seu ex dispositione ipsius. Et hoc modo illa sacramenta parvulis conferebant gratiam, supposita tamen fide publica Ecclesiæ, in qua parvulus offeratur Deo; et ita ipsa sacramenta secundum se erant vacua elementa, licet in fide Christi suscipientibus Deus active præberet illam gratiam.

XXXI. Ex opere autem operato active præbere gratiam est concurrere ipsa sacramenta active ad justificationem; et sic supponunt passionem Christi jam factam, et ex ejus virtute gratiam conferunt, sicut modo baptismus, et hoc modo ex opere operato non conferebatur gratia, sed primo modo. Nec tamen dicimus necessarium tunc fuisse, ut qui offerebat parvulum, fidem in se haberet, et per ejus actum justificaret parvulum; sed intendendo facere quod vera Ecclesia tenebat, et in cujus fide illa fiebant, hoc erat fieri in publica et communi fide Ecclesiæ.

XXXII. Secundo objicies: De ratione sacramenti est, non solum significare gratiam, sed etiam salvatorem et auctorem gratiæ, qui est Christus Jesus, quod etiam supra determinavimus; sed in lege naturæ nulla signa erant Christi significativa: ergo neque sacramenta. Minor probatur, quia neque significabant Christum ut præsentem, alias essent falsa tunc; neque ut futurum,

alias non possent prodesse parvulis post mortem Christi ante sufficientem evangelii promulgationem; et sic cum jam circumcisio pro masculis esset evacuata, et remedium legis naturæ etiam pro feminis et masculis cessaret, relinquerentur homines sine remedio in illo intermedio tempore inter mortem Christi et evangelii promulgationem.

XXXIII. Huic argumento Cabrera respondet, quod etsi circumcisio et legalia representaverint solum Christum ut futurum, ideoque fuerint signa promissoria ejus, tamen ea quæ pertinebant ad legem naturæ, et erant sacramenta (præsertim in remedium parvulorum) non representasse Christum ut futurum aut præsentem, sed abstrahendo ab utroque; sicut fides per se non respicit Christum ut futurum aut præsentem, sed eadem fides est, quæ utrumque respicit, licet per accidens, scilicet ratione status, seu temporis in quo invenitur, respiciat illum aut futurum, aut præteritum; sic et sacramenta illa per se neutrum respiciebant, sed solum fidem mediatoris; per accidens autem, pro illo tempore quo adhuc Christus non venerat, significabant illum futurum; legalia tamen per se respiciebant illum ut futurum, et ideo legalia in morte Christi cessarunt, non vero sacramenta legis naturæ. Ex quo infert, quod sacramenta legis naturæ, respectu quidem gratiæ, quæ in susceptione eorum datur, erant signa practica; respectu tamen gratiæ de futuro dandæ per Christum, erant solum signa speculativa; legalia autem sacramenta etiam respectu gratiæ de futuro practica erant, quia erant promissoria.

XXXIV. Nihilominus, licet per illa sacramenta specialis repromissio de Christo facta non sit; nam promissionis verbum ad Abraham factum